

1438 incolis multitudine haud contemnenda, ad suos obsidione levandos ire pergit. Post solis occasum, jam primis se tenebris intendentibus, Mellitanæ copiæ circa Passirianum & Paternum constiterunt: explorato hostium adventu, repente motis castris, retro ad Coloniam tria passuum millia a Rhoado Picininus confedit. Sequenti die, parte copiarum post proximos montes in insidiis locata, ut si in æquum campum Venetus aciem explicuisset, circumventus opprimeretur, ipse cum reliquo exercitu, quasi tota acie dimicaturus in hostem vadit. In ejus conspectum ubi ventum est, subito copiam pugnandi facit. Mellita neque pugnam detrectavit, neque temere suos in subjectam planitiem demisit: sed injecto certamine, sensim turmas equitum mixto pedite hostibus objiciebat, fessosque, ordinibus nihil turbatis, recipiebat: atque ita caute utrumque facere, ut, Picinini cohortibus ex insidiis erumpentibus, immotum illi steterit agmen, ac prælio a prima ferme luce ad vesperam perducto, illorum tandem aliquanto majore, quam Venetorum incommodo sit inde discessum. Hostis, Veneto Brixiam se recipiente, Coloniam copias recepit. Et quamvis neutro fortuna inclinasset, ad confirmandos civium animos, quos in pugnae illius eventum erectos videbant, rumores tota urbe magistratus dissipandos curarunt, fuisse Mellitam hostium copias. Quæ fama haud intra Brixia mœnia se tenuit; Venetias usque perlata, in tam effusam læticiam civitatem provexit, ut præ nimio gaudio undique sit in publicum concursus, atque ob hoc ipsum Respublica insuetum discrimen pene adierit. Multitudo ingens remigum sociorumque navalium in urbe erat, ex Histria & Dalmatia ob classem, quæ studio instruebatur, accersita. Horum non pauci, quum vino incaluisset, in publicum prorupere, atque ignibus non uno loco (ut in nova sit læticia) accensis, dum ad eos alendos materiam ex proximo sibi quærent, cœpissentque olitorias panitiasque tabernas foris circumjectas demoliri, pulsos nocturnis custodibus, qui id facere prohibebant, in unum ad tria millia coivere. Ii spretis, magistrati-

*Fama prosperæ pugnae ad urbem delata, in discrimen non diuturni tumultus civitatem adducit.*